



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. Officio tuo graviter intende. Ex Veteri. Ex Novo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

*Non est tui officii Ozia &c.* 2. Paral. 26. 18. Ait azarias Sacerdos volentē sacrificare.

*Quando miserunt Judaei Sacerdotes.* Joan. 1. 19. Cur potius hanc legationem mittunt Judaei, quā Pilatus, & Herodes? R. Hi Judaei, ut vult Baronius, erant ex magno Concilio Sanedrīn, ubi negotia tractabantur. Cū autem adventus Messiae maximē ad fidem, & religionem, spectaret; ideo Pontifices, ac Senes, ex magno Concilio decernunt; ut hac interrogatio fiat ad Joannem. Pilatus, & Herodes, rebus tantūm secularibus intenti. Docemur, ut quisque in suo stet ordine: Ecclesiastici de divinis rebus sint solliciti; & in his Principes Sæculares se non immisceant, Sylveira in Joan. 1. q. 2.

*Mitte gladium tuum in vaginam.* Joan. 18. 11. ut vidit Christus, quod Petrus Sacerdos militem indueret, regemque Pontifex agere inciperet; recondere gladium iussit: quia in illius domo quisque suo fungi officio; & Pontifex, quæ sunt Pontificis; rex, quæ regis, quæ militis, miles; quæ Sacerdotis sunt, Sacerdos agere debet. Anselmus in Matth. 26. datur materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit regibus, quod ad stolam pertinet; sic nec Episcopus, quæ regis sunt, exercere debet: quod quia Petrus quodammodo exercuit, à Domino increpari meruit. Did. Niss. D. 20. Pent.

Chabanus Comes Ludovici XI. Francorum regis copiis præfectus, cū haud procul Parisiis abesset; missus lustrandi exercitus gratiā, à rege est Joannes Ballus Episcopus Eboracensis. Chabanus haud multo post à rege postulat, ut sibi Eboras transeundi facultatem concedat. Quid verò, inquit rex, tibi negotii ibidem? Sacerdotes lustrabo, ait, ut emendanda arriquant: nam si Castra Sacerdotibus, militibus Ecclesiæ committendæ erunt. Mefenius l. 3. argut. venā 1.

## §. III.

*Officio tuo graviter intende.*

*Ex Veteri.*

*Apparuit ei Dominus in convulle &c.* Gen. 18. 1. Cur Abraham, qui tam sæpe orabat in montibus, & campis, non apparuere angeli? sed sedenti ad ostium tabernaculi? Zachariæ visus est Angelus. Luc. 1. 11. in templo. Significat, nihil in patrefamilias æquè mirandum, quā si domui suæ præsit; ut in Sacerdote plus nihil probatur, quā si ad sit domui Domini; suæ domus non immemor. Sacerdos, si procul sit à domo sua, ab Angelo recreatur; ab Angelis verò invisitur Patriarcha, si sit in ostio domus suæ. Oliva l. 10. Strom. §. apparuit ei &c.

*Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. 26. Hanc luctam Jacob exponit Oseas de ejus oratione. c. 12. 4. *flevit, & rogavit eum.* Sed cur præcipit Angelus, ut ab oratione cesset? & ei finem imponat? Jacob amplam habebat familiam. Ut Deum teneat, sat est,

noctis silentio orare; at verò de die rei familiari incumbendum. Interlin. hic *dimitte me &c.* q. d. tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendat. Sylveira in Luc. 2. c. 10.

*Cūque minasset gregem ad interiora deserti apparuitque ei Dominus.* Ex. 3. 1. 2. *Cūque Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta, in torculari apparuit ei Angelus.* Judic. 6. 11. 12. 3. Reg. 19. 19. *Elias reperit Eliseum arantem, & tunc eum vocavit ad prophetandum.* Itā & tres fratres Matth. 4. 18. Christus ad Apostolatū vocavit, cū propriis officiis occuparentur. O quantum in Deo servitio proficeremus; si in eo nos tantūm occuparemus, quod muneri nostro convenit; & ad nos non pertinentia negligere. Diez. Conc. 3. in festo S. Andrea.

*Locuta est Maria, & Aaron, contra Moysen &c.* Num. 12. 1. Illa puniit lepra, illō indemni. Sed Cur? Levit. 13. 46. *omni tempore, quō leprosus est, solus habitabit extra castra.* Aaron Sacerdos erat; ideo animarum cure semper invigilare, circuire, conversari, debet: quōd si autem lepra puniri fuisset; fungi officio suo non potuisset. Paoletti f. 11. de S. Marco Evang.

*Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Ezech. 1. 12. hoc est, qui ad bravium. contendit supernæ vocationis; nihil, & nullum, respiciat, nisi solum bravium. Non si videre, quid alii agant; sed quid te oporteat agere. Petro ad crucem destinato, sed, ad Joannem respicienti ait Dominus: *quid ad te, tu me sequere.* Joan. 21. 22. *Ambula ante faciem tuam.* Magdalenam nullum vidit in epulo lacrymantem; sed & nullam videbat cū Christo peccatricem. Oliva l. 4. Strom. §. unumquodque eorum. In Ezechielis curru. c. 1. 10. *aliud animal simile leoni, aliud aquilæ, aliud bovi, & aliud homini. Alius quidem sic, alius vero sic.* 1. Cor. 7. 7. Non omnes ad currum aquilæ sunt: unus currum trahat volando, alius arando: bos factus ad laborem, aquila ad volatum. Leo, si rugit, currit; homo, si imperet, trahit. Martha epulum parat Christo, & placet: Magdalena plorat; ut placet Christum. Id. l. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6. *Unumquodque &c.* hoc est, quodque eorum sibi attendebat inter eundem, non vicino; ut officio suo, & trahendi obligationi, diligentius attenderet. Si enim homo cæteris longè superior se constrictum bovi attendisset; quis dubitet? quin exasperatus fuisset, injuriam putasset. Et bos animal tardum, si conjunctum se pernici aquilæ cerneret; malè sentiret de providentia conjugantis. Aquila probo duceret, tardigrado bovi sociari. Did. Niss. D. 13. Pent. §. 5.

*Super custodiam meam stabo, & sicam gradum super munitionem.* Habac. 2. 1. Non si transilire de custodia ad custodiam; sed sisse in loco tuo; & attende, quid tibi, non autem, quid aliis dicatur. Non enim Deus omnibus eadem

eadem imperat. Isaias nudus incedit, Aaron verò infulatus: David ascendere iubetur ad solium; Jechonias descendere in caveam: Judith triumphando; Job putrescendo, lauream meruere. Oliva l. 4. Strom. §. unumquodque ante faciem suam &c.

### Ex Novo.

*Erant enim piscatores.* Matth. 4. 18. Nonne satis erat dixisse, eos piscari? plurimi sunt, qui piscantur; sed non sunt piscatores. Locus, ubi Christum expectare debes, & munus tuum, & officium. Diez conc. 3. in festo S. Andree Ap. cum dicitur: *Erant enim piscatores.*

*Vos estis sal terra &c.* Matth. 5. 13. Cur de iis non dicit Christus: vos estis sicut sal? quia tam imbibita, & velut intrinseca, debet esse ratio muneris in ministro, ut explicetur, non tanquam adjacens, sed velut quid transformatur in ipsamet naturam, & esse rei. Sylveira hic c. 11. q. 2.

*Horam incensi.* Luc. 1. 10. Cum Zacharias ageret, quod sibi ex officio competebat; & populus clamaret orationibus in auribus Domini, apparuit illi Angelus Domini. Sim. Cals. l. 3. c. 1. hic. Quare apparet in templo? Hugo Card. apparuit Angelus illi exequenti personam suam officium; ac pro populo oranti. Visione tantam, tantoque nuntio, dignus fuit; dum per se ipsum, & non alium, munus suum adimplevit: hoc enim Deo maxime est gratum. Sylveira hic c. 11. q. 13.

### §. IV.

#### Officia humilia libenter exerce.

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, & velut arenam.* Gen. 22. 17. Quid splendidius astris? quid arenis vilibus? quam procul à littore maris firmamentum caelorum est! & tamen Deus eosdem, & stellas esse vult, & arenas. Optat Deus in alumnis suis eam animi magnitudinem; qua pro Christo, & summa aggrediatur, nec infima dedignetur. Vult te modo ad stare fabro, modo cum regibus considerare. Magos per stellam Deus vocat; sed ad stabulum: vult accedentes ad se, & sideri simul asuescere, & praesepi. Oliva l. 4. Strom. §. Multiplicabo &c.

*Gregem, ipsa (Rachel) pascebat.* Gen. 29. 9. Tantum certe merebatur sedulae custodis ovium humile officium, quod illi pater injunxerat, studiosè exequendo; quantum si aliud honorificentissimum munus obivisset. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 26. apud Deum interest; utrum quis praesepi, an obtemperet. S. Greg. Naz. or. 9. quò vocatus est, in eo gradu quisque maneat; etiamsi alioquin praestantior sit dignus: plus utique laudis habiturus ex eo, quò praesenti gradui acquiescit; quam si eum quaeratur, quem non accipit. Did. Nifs. Pol. cael. p. 2. l. 2. c. 1.

*Audite somnium meum, quod vidi &c.* Gen. 37. 6. Hac de causa factum puto, ut Josephi principatus modo in manipulis, modo

in sole, & altis, adumbraretur; ut scilicet, qui sideribus cingebatur, paleis stipari non erubesceret. Oliva l. 4. Strom. Multiplicabo &c.

*Puer autem erat minister.* 1. Reg. 2. 11. Quid agebat? adolebatne incensum ornatus stolam? an sacco fordido ligna convehabat? ministrante, an lucernas, curabat? vertebat pavimentum, an consiciebat thymiana? in throno Dei nec Samuel attendebat munus varietatem; nec Spiritus S. ea distinguit. Servire Deo omnis est dignitas domus Dei; *erat minister.* Samuel hoc tantum expebat, ut Domino ministraret. Quam autem ratione nec scopus exhoruit? nec thuribula ambiit? audi: *puer autem erat minister in conspectu Domini.* Coram Deo videbat, ejusdem esse dignitatis ligna concidere, & gemmas concinnare: hac unam Dei praesentis memoria hilaris, & impiger reddebat. Oliva l. 4. Strom. §. Puer autem erat minister.

*Lampades ejus lampades ignis.* Cant. 8. 6. Dei Spiritus ijs oblectatur, quibus delectatur & flamma: haec non aurum, argentum, gemmis; sed stipulis, feno, ligno vilibus, nutritur. Ut intelligas: in te Dei spiritum non residere, si vilia refugis, & splendidis innutris. Oliva l. 9. Strom. §. Lampades ejus.

*Vade ad mare, & mitte hamum.* Matth. 17. 26. Cur hoc Petro mandatur? piscator erat. Sed si piscatore agebat, praesto erant filii Zebedaei. Cur ergo non Joanni, non Andreae, sed Petro, id munus delegavit. Ut suspicor: quia c. 16. 19. Petro: *tibi dabo claves regni caelorum* Voluit Dominus in eadem manu, & hamum esse, & claves. Oliva l. 4. Strom. multiplicabo.

*Venit homo quidam dives ab Arimathaea.* Matth. 27. 57. Luc. 23. 50. *erat decurio, vir bonus, & justus.* Joan. 19. 8. *fuit Discipulus Jesu.* Marci 15. 43. *nobilis decurio.* Et quid hic dives, vir bonus, discipulus Christi, nobilis decurio, egit? nihil se indignum, dum *corpus Domini unxit.* Joan. 19. 38. 39. Sed cur Evangelista tam honorificis eum titulis ornant? Quia, si quando nobilis, dives, illustris, dici debuit; tunc certo, quando ad gloriam Dei hoc opus peregit. Et quoties Christianus quisunque tale quidpiam pro Deo facit; splendorem suum non obscurat, sed plurimum auget. Did. Nifs. D. Sept. §. 5. in domo Dei omnia officia illustria.

*Ut cognovit, quòd accubisset in domo Pharisei &c.* Luc. 7. 37. Non ad caput, sed pedes Christi, accessit. Quis nostrum postremum sibi locum, & munus, in Christi corpore, id est, Ecclesia, deligit? quis non aspirat ad caput, sublimia officia? quis non tabescit in imis? &c. Et quidem Maria caput alias unxit, sed longè studiosior in pedes fuit. *Super caput alabastrum effudit.* Matth. 26. 7. in pedes verò se ipsam profudit, eamam, vas, oculos, labia, capillos, unguenta infudit. Vide quanto se exhibuit prouiorena erga pedes, quam